



BRennus ille animi et corporis fortitudine insignis, maiorum suorum exemplo commotus, quoque Italiam petere, atque ex his populis discescere voluit. Itaque maximas copias à Gallis, Hederis, Boijs, & Sueuis colligens, ipsas alpes magno labore transcendit. Ibi subito Clusium bello adorti, longè lateque eorum agrum populantur, id quod factum est anno mundi ter millesimo quingentesimo & septuagesimo quinto, atque à Roma condita trecentesimo sexagesimo quinto, cum Artaxerxes Persarum imperium gubernaret, atque Philosophus Plato sapientiam in Græcia profiteretur. Clusini periculo rei commoti Romam lega-

tos mittunt, ad auxilia contra hostes petenda. Prædebant autem nullum aliud in Romanos beneficiū, quàm quòd Veientes consanguineos suos aduersus Romanos nullis opibus iuissent. Itaque tres legati ex Fabiorum gente ad Brennum missi, qui ei dicerent ne socios & amicos Romanorum, à quibus ipsi nulla prius iniuria affecti essent, oppugnarent. Nisi enim cepto desistant, oportere Romanos ex fœdere ipsos Clusinos tueri. Ad ea Brennus